



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum  
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

III. Quid Concilium Tridentinum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

4 *Manualis Parochorum*  
mas calamitates suorum temporum,  
ille in Africam, hic in Italiā diuini-  
tūs immissas Sacerdotum peccatis  
adscribunt : neq; nos inficiari possu-  
mus, Pastorum incuriā, luxuriā, luxu-  
fastu, aliisq; peccatis factum , vt pe-  
stilentissimæ hæreses magnam Euro-  
pæ partem infecerint , eāmq; intule-  
rint corporum , animarūmq; stragem  
qualem etiamnum deflemus.

NVM: III.

*Mens Tridentini Concilij.*

**N**ihil est , aiunt grauissimi Patres  
Tridentinæ Synodi , nihil est  
quod alios magis ad pietatem, & Dei cul-  
sum assidue instruat, quam eorum vita, &  
exemplum, qui se diuino ministerio dedi-  
cārunt : cùm enim à rebus seculi in altio-  
rem sublati locum conspicantur ; in eo  
tanquam speculum reliqui oculos coni-  
unt, ex eisq; sumunt, quod imitentur: qua-  
propter decet omnes vitam, morēsq; com-  
ponere : ut habitu, gestu, incessu, sermone  
alijsq;

Pars prima

5

aliisq; omnibus rebus nihil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præferat; levia etiam delicta, qua in ipsis maxima essent, effugiant: ut eorum actiones cunctis adferant venerationem. Verba singula ad rectæ rationis bilancem trutinare, & expende: ac demum ad ejusdem Sacrosancti Concilij statutum mentem aduerte: est seuerum, & acre: statuit enim: vt quæ aliæ à summis Pontificibus, & sacris Concilijs de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, & ejusdem generis sancta fuerunt, ijsdem impositis pœnis, aut etiam majoribus Ordinarij arbitrio constituendis obseruentur, quarum legum ac pœnarum ratio fuit bonorum morum corruptela ex prauis Pastorum exemplis: & licet ista generatione in Clericos ferantur: nemo tamen nescit ad Parochos potissimum pertinere.

A 3

CA.